



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Pastorum Sive Instructio Practica Neoparochorum

Dirckinck, Johann

Treviris, 1702

Caput. 3. De studio Pastoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51873)

304 *De accuratione & perfectione*
reri, quàm Deum O. M. infinitum?
Quanta stulticia & puerilitas, lucrum
vel damnum modicum, maximo; ter-
renum cœlesti, momentaneum æterno
anteponere?

Quare, ô Pastor! omni studio co-
nare, omnia opera tua, magna & par-
va, bona & adiaphora exactè & per-
fectè, alacriter & hilariter, con-
stanter & perseveranter, cum debi-
tis omnibus supradictis circumstan-
tiis, peragere: quemadmodum Apo-
stolus hortatur Corinthios 1. epist. c.
15. *Fratres mei dilecti, stabiles estote &
immobiles, abundantes in omni opere
Domini semper, scientes quod labor ve-
ster non est inanis in Domino: sed quo
perfectior fuerit, eò Deo accidet gra-
tior, & majorem in cœlo coronam ob-
tinebit: Unusquisque enim propriam
mercedem accipiet, secundum suum la-
borem. 1. Corinth. 3. 8.*

CAPUT III.

De studio Pastoris.

Cùm

CUm Pastor persona sit Deo consecrata; sicut alias actiones, ita & studium ejus, sacrum esse oportet: quod virtus studiositatis ita moderari debet, ut eum, ad diligens studium, otio & languore excusso, excitet; & ut iis scientiis, quibus decet, exclusâ inutilium curiositate, illum applicet. Quibusnam verò scientiis Pastori studendum sit, tum capite primo hujus partis, tum prolixius p. i. c. 2. exposuimus.

Quo verò ordine, ac tempore singula studia tractanda sint, secundum regulas prudentiæ, & rerum exigentiam ipse Pastor definiet. Si hæreat, dubitetve; luminis quidpiam S. Bernardus affundet, Serm. 36 in Cantica hoc tradens monitum: *Observa, quid scire magis priusve oporteat; tempus enim breve est. Ea igitur prius scire, ampliusque curato, que senseris viciniora saluti. Deinde quo ordine, quo fine: sunt namque qui scire volunt, eo tantum fine, ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt*

sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; & turpis questus est. Et sunt quoque qui scire volunt, ut edificent, & charitas est. Et item scire volunt, ut edificentur & prudentia est.

Considerato igitur, perpensoque statu, officio, & indigentia sua, hoc studium eligat, quod magis necessarium, majore cum fructu & utilitate conjunctum; & ut loquitur S. Bernardus, vicinius est salutis aeternae, propriae & alienae. Si fluctuet adhuc & anceps haereat Pastor cui se studio potissimum tradat, regulas bonae electionis applicet: scilicet, quid suaderes optimo amico tuo? Quid egisse te velles in hora mortis, in iudicio, in purgatorio, in aeternitate?

Methodus studendi haec est. I. Purissimam intentionem studiis praefigat: scilicet; ut monet Apostolus ad Titum c. 1. *Ad agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est, in spem vitae*
eter-

aterna. Nimirum ad cognitionem,
 amorem, gloriam & cultum Divinae
 Majestatis 2. Oratiunculam quandam
 flexis genibus praemittat: qualis est
 illa D. Thomae Aquinatis: *Creator in-*
effabilis, aut illa: O sapientia aterna!
quae ex ore altissimi prodiisti, attingens
a fine usque ad finem fortiter & disponens
omnia suaviter, veni ad docendum nos
viam prudentiae. Verbum Patris aeter-
num & sapientiae fons effusissime, Domine
Jesu Christe, docilitatem mentibus no-
stris & intelligentiae lumen infunde, ut fe-
liciter nobis cedant haec studia, quibus ad-
juati ad clariorem tui agnitionem, eter-
naeque veritatis; & perfectum amorem
Bonitatis tuae, pervenire possimus. Qui
vivis & regnas &c. deinde subjunga-
tur aspiratio: Tot tibi sint laudes,
Jesu, quot grammata scribo, vel lego!
 3. Ut docet Suarez Tom. 4. de relig.
 ex S. Augustino de gratia & lib arbitrio:
 c. 1. Animus non ita absorbeatur
 studiis, ut non quandoque ad
 Deum recurrat; nunc intentionem
 reno-

reno-

308 *De Officio, seu Horis*
renovando, nunc petendo auxilium,
nunc gratias agendo, pro veritatis in-
telligentia. Atque ut paucis com-
plectamur, Pastor ante studium, inten-
tionem puram præmittat, sub studio
affectus pios & aspirationes misceat;
post studium laborem suum Christo
offerat; ut veram sapientiam & sci-
entiam Sanctorum acquirat: quò S.
Hieronymi documentum serviet:
*Sic stude tanquam semper victurus, sic
vive tanquam semper moriturus.*

CAPUT IV.

De Officio, seu Horis canonicis Pastoris.

Solennis ille publicæ orationis ri-
tus, seu Horæ canonicæ, pensum
sunt, & officium Sacerdotum atque
Pastorum; ut velex ipso nomine, di-
ligentiam & curam magnam sibi ad-
hibendam esse intelligant, quò debitâ
pietate ac devotione illud persolvant:
quem in finem sequentia perpendere
juverit.

De Authore Officii.

Author